

Dissertatio medica, de rheumatismo acuto ... / [Eberhard Zacharias Munck af Rosenschöld].

Contributors

Munck af Rosenschöld, Eberhard Zacharias, 1775-1840.
Engelhart, Johan Henric, 1759-1832.
Lunds universitet.

Publication/Creation

Lundae : Typis Berlingianis, [1790]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/jrh6zrrc>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

28
37995/p
Dissertatio Medica,
De
**RHEUMATISMO
ACUTO,**

Quam,
Divina Adfulgente Gratia,
Consensu Experientissimæ Facultatis Medicæ
In Regia Academia Carolina,
Sub PRÆSIDIO
Viri Amplissimi & Experientissimi,
DOMINI

JOH. H. ENGELHART,

Phil. & Med. Doct. Med. Pract. Prof. Reg. & Ord.
Reg. Soc. Edinb. Membri, & Fac. Med. h. a. Dec.

Publico Eruditorum Examini

Submittit,

AUCTOR

EBERHARD ZACHARIAS MUNCK,

Lundensis.

In Auditorio Carolino Majori

Die IV. Decembr. Anni MDCCXC.

LUNDAE,
Typis BERLINGIANIS.



Oliver Sager
Studii. 1795.

Liberam profiteor Medicinam, nec ab antiquis sum nec a novis, utrosque, ubi veritatem colunt, sequor; magnifacio sæpius repetitam experientiam.

KLEIN; *Interpr. Clinic.
In Prefat.*

VIRO.

NOBILISSIMO. ET. EXPERIENTISSIMO.

D. NO. *EBERHARDO.*
ROSENBLAD.

MED. DOCT. MED. PRACT. PROF. REG. ET. ORD.

REGII. COLLEGII. MEDICI. ASSES.

REG. ACAD. SCIENT. SVEC. MEMBR.

AVO. MATERNO. INDULGENTISSIMO.

MÆCENATI. MAXIMO.

*S*tudiorum. Meorum. Primitias.

Juvenili. Opera. Exasciatas.

Levidense. Licet. Munusculum.

TIBI. AVO. Optimo.

Ob. Præstita. Maxima. Beneficia.

Offero.

Immaturum. Ingenii. Fecisti.

DEO. Si. Placuerit.

Sequetur. Aliquando. Maturior.

Sit. Interim.

Quam. Sacro. Opella.

Gratissimi. Animi. Pignus.

Vivas. Vigeas. Floreas.

Sub. Grandæva. Senectâ.

Salvus. Sospes. Felix.

Vota. Sunt. Sincera.

Ex. Filia. Nepotis. Obedientissimi.


EBERHARDI. ZACHARIÆ. MUNCK.

Clarissinio AUCTORI

PRÆSES.

S.

Egregium Tuum, de Rheumatismo Acuto, Specimen Tibi reddo, & quidem tale, quale illud a Te accepi. Summa cum voluptate, Dissertationem Tuam perlegi; fateor tamen (detur hoc candori meo) quædam in illa occurrere, quibus haud facile subscripserim. Pauca autem hæc malui intacta relinquerè, quam, vel vocabulo mutato, quo minus totum opusculum TUUM salutaretur, impedire. Pulchram hanc & utilem Dissertationem, juvenem quindecim annos natum Auctorem agnoscere, fidem fere superare videtur. Te vero, proprio Marte illam elaborasse, vivus testis omni asseveratione affirmo. Gratulor igitur Tibi hoc Specimen, NOMINIBUS TUIS dignum! Gratulor Tibi felicissimum ingenium, raram industriam, insignem modestiam, amabilem vitæ morumque innocentiam! Gratulor vero mihi, amatum in Te Discipulum! Ut omnia Tibi ex voto cedant, vehementer opto. Vale.





DE
RHEUMATISMO ACUTO.

L. B.

Argumentum, quod elegi, perdifficile & perobscurum vides. Ex omnibus enim Scriptoribus Medicis, quos legere, mihi contigit, vix duos reperies, inter quos convenit, quid sit Rheumatismus, quænam sit ejus origo, quomodo curetur, & sic porro. Quærere omnino potes, unde hæc dissensio proveniat? Multum certe rei obscuritati adscribendum; aliquid vero amoris novitatis Medicorum tribuendum, qua commoti, propria tantum, aliena aspernantes, mente comprehenderunt, atque docuerunt. Miraris fortassis, jure sane & merito, me talem materiam ad scribendum sumsisse. Fateor ingenuè,

2

nue, me, in initio, argumenti difficultatem, ne ex dimidia quidem parte, novisse. Rem autem acri & intento animo intuens, simulque proprias vires mecum considerans, opus inceptum fere horrebam. Argumentum tamen, semel electum, rejicere nolui; eo magis mihi exposcens veniam, quo difficilior res sit, tantas inter Medicos juvenilibus laboribus componere lites. Si vero ratiocinia quodammodo distincta excogitare, eaque perspicua Lectori facere potuerim, nihil magis exoptabo; neque magis ab adolescentulo, qui vix per annum integrum Medicinæ operam dedit, potest expectari. De Acuto solum Rheumatismo differere, scopus fuit. Prolixius omnino, & nimis longum foret, si etiam de Rheumatismo Chronico mihi esset tractandum. Præterque hoc, vires ingenii mei nimis exiguae & imbecillæ sunt, ad justos & accuratos ponendos limites inter Rheumatismum Chronicum & Arthritidem. Hanc enim rem quam maxime intricatam esse, exinde adparet, quod ill. CULLEN, licet nodos difficillimos in Pathologia facillime solvere potuerit; attamen sincere candideque fateatur, hanc rem multum difficultatis & negotii secum adferre; ita ut
sibi





sibi eam perspectam non satis ipse habuerit. Me igitur hoc negotium fugere, non mirabitur is, qui celeberrimi CULLEN nuper allatam confessionem, meique ingenii vim, considerat. Quamobrem hanc rem aliis, qui plus ingenii & facunditatis habent, relinquo tractandam. Ne autem inani forsitan sermone volumen impleam, ad magis necessaria progredior.

§. I.

Character Morbi.

Illustris CULLEN Rheumatismum Acutum in Phlegmasiarum numerum, quæ secundum Ordinem primæ Classis in Ejus Nosologia constituunt, jure meritoque refert. Nam hic morbus plurima signa inflammationis *) ostendit. Ill. CULLEN hujus morbi characterem sequentem dat: "Morbus ab externa & plerumque evidente causa; pyrexia; dolor circa articulos, musculorum tractum sequens, genua & reliquos majores, potius quam pedum vel
a 2 manuum

*) Non dico omnia. Quandoque enim, præcipue in nostro climate, Rheumatismus Acutus tumore & rubore observabili est destitutus. Pulsatio quoque in hoc morbo raro sentitur, nisi is in supurationem eat; quam tamen raro incidere, infra dicemus.



manuum articulos, infestans, calore externo affectus a).”

Scholion I. Hanc definitionem præ ceteris omnibus elegi. Reliquis enim perspicuitate & evidentia longe præstat. Quod ex comparatione ejus cum iis patebit. Ill. VOGEL b) per *Cutis & musculorum dolorem*, Rheumatismum declarare, conatus est. Ast musculos aut eorum vaginas non solas occupat Rheumatismus, sed adnexos quoque, & articulationibus adfixos tendines, vel potius involucria tendinum *), quandoque afficit. Hic autem Vir non solus in definiendo Rheumatismo diversus a cel. CULLEN fuit. Ill. enim à LINNÉ hunc morbum definit, ut sit *Musculorum dolor ad motum, a tela cellulosa infecta* c). Hic videtur Ill. à LINNÉ statuere, musculos in Rheumatismo tantum dolere. Sed, experientia teste, dolor Rheumaticus sæpe vaginas tendinum & musculorum, ut supra de definitione Vogeliana monuimus, afficit. Si etiam ut vera assumeretur hæc Ill. de SANVAGES d) Regula Nosologica, *Morbos omnes definiri tantum debere per phaenomena*; Ill. à LINNÉ certe in hoc morbo definiendo non consentiret. Cum vero hæc regula Cel. de SAUVAGES nondum sit stabilita, neque communiter recepta; Illustrem à LINNÉ



a) Vid. CULLEN *Synops. Nosol. Method.* edit. 1785. Tom. II. p. 118. G. XXII.

b) vid. CULLEN loc. cit. Tom. I. p. 171. G. CXXXVIII.

c) Ipsos enim tendines non esse irritabiles, multis experimentis docet von HALLER in Praefatione ad Tomum VIII. *Element. Physiol.* Vaginas vero tendinum & ligamentorum nervis esse instructas, sine omni dubio est.

e) vid. CULLEN loc. cit. p. 99. G. LXII.

d) *Nosol. Method.* edit. 1763. Tom. III. P. I. p. 210.





Né quando Causam Proximam in definitione admisit, recte non fecisse, contendere non decet. Præterea, si definitio Genetica erit, causam omnino rei definiendæ adferre debemus. Verum quidem est, Causas Proximas morborum ex omni parte non semper esse detectas, plurimosque Medicos propriam de Causa Proxima morbi cujusdam habere opinionem. Sed hoc non impedit, quominus Nosologus Causam Proximam, sua sit aut alterius, in definitione adferat. Eam semper morbo inesse, verissimum est, licet non omni tempore nobis innotescat. Nihil certi hac de re statuere possumus. Regulæ enim Nosologicæ nullæ sunt stabilitæ. Sed unusquisque Nosologus proprias regulas Nosologicas, ad quas definitiones morborum dirigit, agnoscit. Satis autem longo sermone Cel. à LINNÉ definitionem tetigimus. Illustris de SAUVAGES definitionem contemplemur, quæ ita se habet: *Dolor diuturnus in parte carnosa artuum* e). Dolor vero, Rheumatismum comitans, in parte carnosa artuum sola non continetur. Nam, primo, plane constat, dari casus, ubi articulis non solum adnexos musculos, sed & omnes totius corporis dolor invadit f). Species etiam sunt Rheumatismi, in quibus dolor solos musculos artubus adfixos non infestat. Talis reperitur *Pleuritis Spuria*, quæ in intercostales musculos præcipue incidit *). Deinde, pars carnosa non
a 3 sola

e) vid. CULLEN loc. cit. p. 40. G. III.

f) vid. COWLING *Dissert. de Rheumatismo*, Edinburg. 1775. habit, pag. 7. Nonnulli, inquit, sunt casus Rheumatismi, ubi omnes corporis muscoli pariter laborant.

*) Hunc autem morbum Ill. de SAUVAGES diversum a Rheumatismo fecit. Mirandum igitur non est, hunc Virum, Rheumatismum articulos solum occupare, contendere. Eum vero, Rheumatismum interdum alias partes petere, non negare; exinde



sola Rheumatismo est exposita. Testibus enim III. Viris HOFFMAN g), van SWIETEN h), COLOMBIER i), LIEUTAUD k), pluribusque, membrana communis musculorum, & vagina, nec non tendines (Cfr ea, quæ supra de tendinibus monuimus), quibus ossibus affiguntur, sæpe hoc morbo corripuntur. Illud quoque contra Cel. de SAUVAGES moneri posset, eum minus recte vocem *Diuturni* in definitione adhibere. Nam non semper Rheumatismus dolor diuturnus comitatur. Quandoque enim, licet rarius, 3 vel 4. dierum spatio ad finem peracto, morbus cessat. Ill. igitur de SAUVAGES defini-



concludimus, quod in *Nos. Method.* T. III. P. II. p. 22. dicat, dolorem Rheumaticum in artubus *potissimum* contineri. Vocabulo autem *potissimum* eum indicare velle, videtur, dolorem *plerumque*, non *semper*, artus invadere. Nos vero Cel. COLOMBIER adsentimur, ita dicenti: *La FAUSSE PLEURESIE n'est vraiment, qu'un RHEUMATISME AIGU, qui attaque les muscles de la respiration.* *Code de Medic. Milit. Suite de 3 Part. pag. 126. §. DCI* Neque cel. LIEUTAUD a nobis dissentire videtur, dum dicit, Rheumatismum, quando cervicis musculos occupat, *Pleuritim Spuriam* (*Fausse Pleuresie*) nominari. vid. *Ejus Synopsis. Univ. Prax. Med. P. I. p. 85.*

g) *Oper. Phys. Med. Tom. II. pag. 317. §. III,* ubi hæc habet: *In RHEUMATISMO muscoli cum eorum membrana comuni, & tendinibus, ubi ossibus inseruntur, gravi dolore & spasmò hinc inde in artubus aliisque corporis regionibus afficiuntur.*

h) *Commentar. in HERM. BOERHAV. Aphorism. T. V. p. 654.* *Sed non tantum articulos, inquit, obsidet morbus (Rheumatismus) verum & expansiones tendinosas, dictas aponeuroticas, quibus reguntur muscoli colli, dorsi, & artuum.*

i) *Code de Med. Mil. Suite de 3 P. p. 127. §. DCIII.* *Heie loci sequentia adfert: Cette maladie, (Rheumatisme), a son siege dans les membranes & dans les enveloppes des muscles.*

k) *Synops. Univ. Prax. Med. P. I. p. 85.* *Rheumatismus, inquit, in membranas & involucria (Musculorum) incumbens, facilius evincitur.*



definitio melius Rheumatismo Chronico, quam Acuto accommodari potest. Ibi enim dolor semper diuturnus est. Hoc autem in defensionem Ill. de SAUVAGES adferre possumus, vocabulum Diuturni eum usurpasse, ut clarius distingueretur Rheumatismus ab Arthritide, in cujus definitione vocabulum *Periodici* adhibet I). — Plures definitiones allegare possemus. Sufficiant tamen jamdudum allatae, ad monstrandum, nos male non fecisse, quando definitionem Ill. CULLEN optimam judicavimus. Quæ vero de iis, quas attulimus, definitionibus, monuimus, quilibet pro suo judicet arbitrio.

Schol. 2. Rheumatismus in duas species dividitur, quarum alteram *Rheumatismum Acutum* seu *Phlogisticum*, qui cum febre est conjunctus; alteram *Chronicum* seu *Longum* *), qui a febre est immunis, dicimus. Quæ dividendi ratio ab omnibus fere Medicis, ut genuina, est recepta **. De priori solum Rheumatismi Specie agere, nos constituimus.

§. II.

I) vid. CULLEN *Synops. Nosol. Method. T. I. p. 40. G. I.* Verba ejus hæc sunt: ARTHRITIS est articulorum dolor spontaneus periodicus.

*) Rheumatismus Chronicus illustri de SAUVAGES dicitur Rheumatismus *Vulgaris*. vid. *Ejus Nosol. Method. T. III. P. I. p. 7.* Cel. CULLEN hanc Rheumatismi Speciem vocat *Arthrodyniam*. vid. *Ejus Synops. Nos. Method. Tom. II. p. 122.* Veteribus Medicis *Rheumatismi Frigidi* nomine innotuit. Credebant enim, eum ex visciditate & lentore humorum oriri; hyeme etiam maxime grassatur, atque diaphoreticis præcipue curatur. Cfr. de SAUVAGES loc. & pag. cit.

**) Ill. de SAUVAGES Rheumatismi Species præter modum multiplicat. Rheumatismi divisio in *Arthriticum*, *Scorbuticum*, *Calicidum*, *Hystericum*, *Salvatorium*, *Febricosum*, & *Metallicum*, omnino superflua est. Nam omnes hæc de SAUVAGES Species vel ad Acutum, vel ad Chronicum Rheumatismum, reduci possunt. Hinc ipse in *Nosol. Method. T. III. P. I. p. 23* hæc affert: *Forse in duo genera rectius divideretur [Rheumatismus], unum acutum, alterum chronicum.*

§. II.

Nomen Rheumatismi.

Nomen accepit hic morbus a vocabulo Græco *ῥέω fluo*, unde *ῥέυμα, fluentum*, apud Medicos vero *Fluxio, Defluxio*, præcipue ex capite m).

Schol. 1. Si hanc derivationem vocis *Rheumatismi* diligenter perpendere velimus, non difficulter inveniemus, Rheumatismum eos inter morbos esse numerandum, quibus *Fluxionum & Defluxionum* nomen indiderunt Græci Medici, & in his HIPPOCRATES n) atque GALLENUS. Ad *Fluxiones Calidas* veterum Græcorum, *Acutum Rheumatismum* referimus; ad *Frigidas, Chronicum*. Putabant nempe, hæc fluxiones materiam morbidam de capite ad articulos cum dolore vehementi depellere; quamvis nihil mali in iis antea sit observatum. Sic Oralgiam & Odontalgiam exurgere, dicit Ill. van SWIETEN o); licet neque in aure vel dente, neque in

m) Cfr. v. SWIETEN *Commentar. Tom. V. p. 638.*

n) Quod si parum defluerit, coxarium morbum, & diuturnos articularum affectus (*ῥέματα dicuntur*) facit, si fluere cessaverit. HIPPOCRATES de *Locis in homine* ex *Versione FOESII p. 403 & 406.* Videtur hic HIPPOCRATES, primo Rheumatismum Acutum designare; & si hic non perfecte fuerit resolutus, tum quidem in Chronicum Rheumatismum degenerare. Ita certe est, si perpetuum foret, quod Ill. CULLEN urget, Rheumatismum articulos potissimum occupare. Fatetur tamen, non semper id ipsum contingere. Hæc autem monenda duxi, ut constet, HIPPOCRATEM non solum Rheumatismum ipsum, quem *Fluxionum* (*ῥευμάτων*) nomine significavit, sibi notum habuisse; sed & differentiam inter Rheumatismum Acutum & Chronicum observasse.

o) *Comment. T. V. p. 638.*

in partibus vicinis notabile vitium adparuerit. Hinc *aurium fluxionem* vocari *Otalgiam*, invenimus. Hinc quoque caussa explicanda venit, quod Rheumatismum cum Catarrho confuderint Medici antiqui. *Catarrhus* enim iis dicebatur *humorum ad subiectas partes defluxus* p). Hanc ob rationem a materia catarrhali ex capite ad iuncturas ossium defluente, dolorem oriri Rheumaticum, articulos obsidentem, urgebant. Eos autem vel debilitate vel aliis caussis ad hanc materiam recipiendam proniores esse factos, arbitrabantur q). Hanc sententiam exinde satis roboris habere, putabant, quod Catarrhus sæpe Rheumatismum comitetur, & unus in alterum facile mutetur, nec non uterque perspiratione cohibita moveatur. Genuinam vero veterum de Fluxionibus non fuisse doctrinam, demonstratione non eget. Eos illam tam absonam tradidisse, præcipue eorum ignorantiae circulationis sanguinis majoris tribuendum, putamus. Facile autem est intellectu, Rheumatismi vocem apud antiquos Medicos ambiguum sæpe fuisse; adeo ut quaecunque defluxionem humorum morbosam hac voce designarent.



Schol. 2. Rheumatismi veteres nullibi mentionem injecisse, qui cum Ill. TRALLES r) & HOFFMAN s) statuunt, obiter hæc dixisse, videntur. Rheumatismi enim nomen etiam ante GALENI tempora in Medicina usurpatum fuisse, e PLINIO SECUNDO, qui sub *Imperatore VESPASIANO* vixit, novimus; cum GALENUS HADRIANI demum tempore natus sit. Nam de usu *Radiciis*
b *Filicis*

p) vid. BLANCARDI *Lexic. Med.* Tom. I. p. 251.

q) Cfr. v. SWIETEN *Comment.* Tom. V. p. 638.

r) *Ufus Opii Salubr. & Nox in morb. medel.* Sect. 2. p. 301.

s) *Oper. Phys. Med.* T. II. p. 317. §. 1. ubi dicit, veteres omnes dolores, externum corporis ambitum adficientes, Arthritidis nomine descripsisse, ignorato vocabulo RHEUMATISMI.



Filicis ita habet PLINIUS: *Radix ejus duorum obolorum pondere ex aqua, post unius diei abstinentiam bibitur, melle prægustato, contra RHEUMATISMOS* t). GALENI tempore, vel non multo post, floruisse CÆLIUM AURELIANUM *), constat. Apud eum u) vero, qui Sectæ Methodicorum erat addictus, etiam Rheumatismi nomen occurrere deprehenditur. Post GALENI tempora, seculo nimirum sexto, ALEXANDRUM TRALLIANUM floruisse, creditur v). In ejus quoque scriptis x) sæpius Rheumatismi vocem invenimus. Notari tamen diligenter debet, veteres Rheumatismi nomen, licet



t) vid. Ejus *Hist. Mundi* edit. Francofurti 1608. Lib. XXVII, Cap. IX. p. 1205 & 1206. Cfr. L. FUCHSII *Hist. Stirpium* p. 598. Plura autem sunt loca apud PLINIUM, in quibus Rheumatismi vox legitur. Scilicet: Lib. XXII, Cap. 18, 23 & 25; Lib. XXIII, Cap. 1, 2, 4 & 8; Lib. XXIV, Cap. 3; Lib. XXV, Cap. 8 & 13; Lib. XXVI, Cap. 14; Lib. XXVII, Cap. 12 & 13; Lib. XXVIII, Cap. 8; Lib. XXXII, Cap. 6 & 9.

*) An hic vir ante, vel post GALENUM, vel eodem tempore cum eo, vixerit, anceps fere hæreo. Consulas JÖCHER *Gelehrten Lexicon* edit. Lipsiæ 1750. JUNCKER *Conspect. Physiol. Med.* p. 30. MARHEER *Prælect. in Boerhav. Instit. Med.* Tom. I. p. 72 & 75, atque v. SWIETEN *Comm. T. V.* p. 64. Argumenta ex his Auctoribus deducas, quæ brevitatis causa omitto.

u) *Morb. Acut.* Lib. II. Cap. XXVII. p. 139.

v) vid. JUNCKERI *Conspect. Physiol. Med.* p. 31.

x) *Oper. Græc. & Lat.* J. GUINTERO interprete edit. Basileæ 1556. Exempli causa verba in Lib. XI. Cap. 1. p. 599, occurrentia, adferamus: Porro RHEUMATISMI, non solum ob materiæ influxum, articulis oboriri solent; sed etiam propter nudam qualitatem solam, calidam & frigidam; ad hæc siccitas & humiditas sunt sæpe causa RHEUMATISMORUM.



licet passim in eorum scriptis occurrat, tamen non tam definito sensu, ac nostro ævo, declaravisse. Nam sæpe Cararrhum seu Coryzam (vid. Sch. I. hujus § phi) ut & Podagram seu Arthritidem *), vel, verbo, omnes morbos, quos ad Fluxiones retulerunt Medici Græci, hoc nomine intellexerunt **). GALENUS etiam hac voce in designanda vitiosi ejusdam & superabundantis fluidi e jecore in uterum effusione, utitur y). Quod pravæ ejus & absonæ de hepate hypothesei tribuendum, remur. Teste quoque Ill. de SAUVAGES z), CÆLIUS AURELIANUS Rheumatismi nomine *Diarrhæam* significavit. Ex hisce autem omnibus clarissime patet, veteres Rheumatismi morbum iisdem phænomenis, quibus recentioribus Medicis solet innotescere, omni ex parte non descripsisse; sed ei alia phænomena, quam quæ juxta ei adscribi debuerunt, tribuisse. Quamquam vero Rheumatismi nomen apud veteres rarius occurrit; idque

b 2

ii

*) TRALLIANUM hac voce in phænomenis Podagræ explicandis sæpius usum esse, testatur Ill. v. SWIETEN *Comment. T. V. p. 640.* Cel. de SAUVAGES in *Nof. Method. T. III. P. I. p. 23* dicit, RIVERIUM hoc nomine *Arthritidem vagam* intellexisse.

**) Veteres Medicos Rheumatismi voce omnis generis fluxiones designasse, ex scriptis FLINII SECUNDI erui potest. Nam de Fluxionibus loquens, sæpe hæc adjicit: *quas Græci RHEUMATISMOS vocant.* Consultas Ejus *Hist. Mund. v. gr. Lib. XXII, Cap. XVIII. p. 1033.* Solus fere HIPOCRATES ex veteribus Medicis, Rheumatismi morbum sensu aliquo modo distincto & definito explicavit atque descripsit. Fluxionum nempe nomine eum comprehendebat; eas autem ita explicavit, ut Rheumatismo accommodari explicata potuerint.

y) vid. COWLING *Dissert. de Rheumatismo p. 2.*

z) *Nofol. Method. T. III. P. I. p. 23.*

ii sæpissime in cognatis morbis designandis adhibuerunt; verosimile tamen, immo certum, videtur, eos hunc morbum, ex parte saltem, cognovisse, atque observasse, sed plerumque Arthritidis nomine comprehendisse a). Quos-
cunque enim musculorum dolores, præsertim autem eorum, qui ossium juncturis sunt inusti, uno nomine Arthritidis significabant b). Hoc facile perspicui potest ex sequentibus ARETÆI, *Cappadocis*, verbis: *Communis omnium articulorum dolor est Arthritis; sed pedum dolorem Podagram vocamus, coxendicum Ischiada, manuum vero Chiragram* c). Et alio loco d) hæc habet: *Nempe aut ex tempore dolor est, si ex aliqua parum durante causa consurgat; aut latenter meditationibus longo tempore contractus est morbus, quum ab exigua occasione dolor & morbus accenduntur.* Ex hisce allatis luculenter patet, ARETÆUM Rheumatismum observasse; sed tantummodo eum differentiam aut varietatem Arthritidis fecisse. Putat nimirum, aliam esse varietatem Arthritidis, a causis externis, recentibus & evidentibus proficiscentem; aliam vero, quæ a causis internis & occultis excitatur, atque progressu temporis invadit. Hoc modo PETITUS e), Commentator ARETÆI, mentem ejus explicat. Facile eutem est visu, illam, quam ARE-

b3

TÆUS

a) Audiamus ea, quæ v. SWIETEN hac de re in *Comment.* Tom. V p. 638. profert: *Rheumatismi, inquit, nomen variis occurrit apud veteres Medicos; videntur tamen illum satis cognovisse, & sub Arthritidis nomine descripsisse.* Ast non semper sub Arthritide comprehendisse veteres Rheumatismum, ex supra [Schol. I hujus §:phi lit. n.] citatis HIPPOCRATIS verbis, patet.

b) vid. HOFFMANNI *Oper. Phys. Med.* T. II. p. 317, §. I.

c) *De Caus. & Sign. Morb. Diuturn.* Lib. II. Cap. XII. p. 66.

d) Apud v. SWIETEN *Comment.* T. V. p. 638.



e) In *Commentar. & Animadvers.* suis ad ARETÆUM loc. cit. p. 212.

TÆUS habuit, Arthritidis differentiam, nihil aliud esse, quam morbum a Medicis hodiernis dictum Rheumatismum; hanc vero eum esse morbum, cui nos proprie Podagræ seu Arthritidis nomen ponimus. Cetera vero, quæ dicenda forent hac de re, fusius & ornatius apud *van SWIETEN* f), exponuntur. Ex iis autem, quæ jam diximus, sequentia deducimus. Negari non potest, Medicos antiquioris ævi observasse eum morbum, quem Medici recentiores Rheumatismum vulgo nominant. Eos vero ad hunc morbum designandum, Rheumatismi voce speciatim non usos esse; sed hanc sæpe ad cognatos morbos significandos adhibuisse; sine omni dubio est. Veritati igitur consentaneum videtur, veteres, omnis generis doloribus, artus, partesque musculosas totum ambitum corporis externe circumvestientes, adficientibus, nomen Arthritidis dixisse; nec Rheumatismum diversum genus, uti ipsius ejus naturæ erat convenienter, constituisse. Cum autem, inquit Ill. v. *SWIETEN* g), secundum quatuor humores, bilem, sanguinem, pituitam, atram bilem, dividerent (veteres) morbos articulares, & diversam curandi methodum adhiberent, invenimus plurima Rheumatismi signa in descriptionibus podagræ & arthritidis biliosæ ac sanguineæ, dum nimirum illi duo ex quatuor humoribus, nimia copia, vel acriori indole, peccare credebantur, vel copia & acrimonia simul junctis, a quibus nascebatur peior morbus. Et paullo supra idem Ill. Auctor hæc adfert: *TRALLIANUS* — diversam Podagram statuit, pro varietatē materiæ in articulos defluentis, sanguineæ nempe, biliosæ, pituitosæ, atrabilariæ. Qui autem, ideo Rheumatismum iisdem phænomenis circumscriptum, quibus nunc temporis explicatur, veteribus Medicis prorsus fu-

isse



f) *Commentar. Tom. V. p. 633 — 640.*

g) *loc. cit. p. 640.*



isse ignotum, contendunt, se maxime frustrantur. Nam
 licet obscure admodum de hoc morbo locuti sint, eum-
 que diversum ab Arthritide Genus non fecerint; tamen
 eos hunc morbum observasse, verissimum est. Obser-
 vandum solum est, alios esse morbos, quibus Rheumatis-
 mi nomen indiderunt veteres; alium, quem nos Rheu-
 matismum vocamus. Ad illos referendæ sunt omnis ge-
 neris fluxiones, defluxiones, & profluvia [vid. supra].
 Hic autem morbus est, quem varietatem Arthritidis vul-
 go fecerunt; quod ex ARETÆI supra citatis verbis
 erui potest. Qui autem secus sentiunt, etiam suam sen-
 tentiam stabilire volunt, contendendo, Rheumatismum in
 regionibus sub zona torrida jacentibus insolentius grassa-
 tum fuisse; ubi tamen notum est, plerosque veterum
 Medicorum artem suam exerceisse. Homines quoque,
 antiquioribus temporibus minus causis Rheumatismi ex-
 citantibus, quarum magnam partem sibi ne notam qui-
 dem habebant, sese exposuerunt. Ex hisce vero omni-
 bus nihil sequitur, quod nostram opinionem evellere po-
 test. Sine dubio est, Rheumatismum apud eos, qui in
 locis ad zonam calidam vergentibus vixerunt, rarius va-
 gatum esse. Concedimus etiam, ex iis rationibus, quas
 supra adduxerunt nostri adversarii, ut inde sententiæ suæ
 plus roboris accedat, explicari & quæri debere causam,
 quod veteres minus accurate & definite Rheumatismum
 descripserint. Inde tamen non sequitur, ut hic ipse
 morbus illis fuerit ignotus. Possum enim cognitionem
 rei habere, cujus, nonnisi notionem consulam formare
 queo.

Schol. 3. De obscura Rheumatismi periodo hucusque locuti
 sumus. Quædam autem de eo tempore, quo hic morbus
 e tenebris, quibus per plura sæcula offusus fuerat, in lu-
 cem vocatus est, in medium proferamus. Rheumatismus
 ad



ad tempora usque BALLONII, Auctoris Luretiani, sub Arthritidis nomine descriptus est. Ille vero, alias dictus de BAILLOU, qui sub finem seculi decimi sexti, & initium decimi septimi floruit h), omnium fere Medicorum consensu, primus salutatur, qui Rheumatismi vocem sensu definito & distincto in Medicina Practica adhibuit i). Rheumatismum nempe, Podagram, Catarrhum, aliasque affectiones, inter se comparatas, in verum discrimen adduxit *j). BOTALLUS k), autem, etiam gentis Gallicæ, primus Rheumatismi in Acutum & Chronicum distinctionem claram fecit; illum *Calidum*, hunc *Frigidum* nominans l). Vestigiis BALLONII nec non BOTALLI



h) JÖCHER *Gelehrten Lexicon* Part. 1. p. 717 & 718.

i) vid. Ejus *Ephemerid.* edit. Venet. 1734. Lib. 1. T. 1. p. 30.

*j) BALLONIUS non quidem solus ex Medicis Gallis in Rheumatismi Diagnosi constituenda, elaboravit. Ex iis enim, præter eum, in hanc rem multum contulerunt operam CAROLUS PISO, RIVERIUS, & CHESNEAU, ex testimonio HOFFMANNI in *Oper. Med.* Tom. 11. p. 317. §. 1. Non autem tam explicite rem peregerunt, ac BALLONIUS. Nobis igitur vitio non est vertendum, quod eum speciatim memoraverimus.

k) JÖCHER loc. cit. p. 1277. Quo tempore natus vel mortuus sit Botallus, non memorat. Eum autem eodem tempore, ac Ballonius, vixisse, probabile videtur.

l) vid. KISSAM *Dissert. de Rheumatismo Acuto* edit. Edinburgi 1787, p. 2, ubi hæc adfert: BOTALLUS, scriptor Gallicus, duas hujus morbi [Rheumatismi] species primus discrevit, atque alterum frigidam, calidam alteram, adpellavit. Veteres autem hanc distinctionem, ex parte saltem observasse, ex supra memoratis HIPPOCRATIS verbis patet. Non vero eam tam perspicuam tulerunt, ac BOTALLUS. Nam ex HIPPOCRATIS verbis nuper dictis hæc divisio, difficulter eruitur. Historiam quoque Rheumatismi Calidi & Frigidi adeo presse & obscure tradiderunt, ut neminem fugere possit, eos naturam harum specierum magna ex parte ignorasse. BOTALLUS vero hanc distinctionem perspicuam & apertam, primus omnino, fecit.



BOTALLI institit Cel. SYDENHAM. Quæ adhuc obscura esse potuerunt, iis hic Ill. Vir clariorem lucem attulit. Rheumatismi naturam, Diagnosin claram eundem inter, & alios morbos, etiamque inter Speciem ejus Acutam & Chronicam, stabiliendo, morbique plenam & distinctam historiam tradendo, optime descripsit; atque ejus medelam insigniter elaboravit. Tantos vero in hisce studiis fecit progressus, ut illis clarius addere lumen, perquam difficile sit. Hoc ex eo patebit, quod magnus BOERHAAVE, teste Ill. *van SWIETEN* m), rotundis verbis asserat, SYDENHAMO excepto, reliquos Auctores vix aliquid bonæ frugis de hoc morbo dixisse. Audiamus quoque ea, quæ Ill. *de SAUVAGES* n) in laudem SYDENHAMII profert. *Ante SYDENHAMUM*, inquit, *hujus Speciei* (Rheumatismi Acuti) *historia distincta nulla erat*. SYDENHAMUS igitur, ex tantorum virorum testimoniis, principem locum omnium Auctorum, qui Rheumatismo describendo & curando operam navarunt, jure obtinet. Post eum vero laudibus ornari meretur Ill. CULLEN. Quæ enim, in Systemate SYDENHAMII de hoc morbo melius vel perfectius reddi potuerunt, ea hic clarissimus Vir ita perfecit, ut ne putem, temere dici, doctrinam ejus de Rheumatismo vix unquam subtiliorem tradi posse.



§. III.

Historia Rheumatismi Acuti.

Rheumatismum Acutum comitantur communia Pyrexia signa. Ea interdum dolores præcedunt, interdum consequuntur. Aliquando etiam observantur



m) *Comment.* Tom. V. p. 639.

n) *Nosol. Method.* Tom. III. P. I. p. 24.





tur eodem tempore, ac dolores, ægrum invadere. Dolores plerumque vagi sunt, nunc hanc, nunc illam partem corporis occupantes. Rarius uno loco circumscribuntur. Temporibus vespertinis febris & dolor increſcunt, matutinis remittunt. Majores potiffimum articulos dolor infeſtat; & ſub motu augetur. Interdum nulla pars totius corporis ſuperest a dolore libera. Tumor & rubedo in affecta parte plerumque conſpiciuntur. Pyrexix ſymptomata pedetentim minuuntur. Raro accidit, ut duæ vel tres hebdomadæ præterierint, antequam ſolveretur febris. Dolores febris ſuperſtites eſſe ſolent; & ſi diu durant, deſita febre, morbus ex Acuto Rheumatismo in Chronicum commutatur. Si hic per longum tempus in articulo quodam remanet, *Ancyloſin*, *Rigiditatem*, & nonnunquam *Paralyſin* alit. Quando autem Chronicus non fit morbus, dolores Rheumatici gradatim decreſcunt.

Schol. 1. Febris, quæ dolorem Rheumaticum conſequitur, non ſemper eſt ejusdem indolis. Saepiffime eſt manifeſte *Inflammatoria*, *Synochæ* naturam perſequens; aliquando forte *Putrida*, *Typhi* periodum tenens; interdum quoque *Intermittens* vel *Remittens*. Longa autem Medicorum experientia compertum eſt, Rheumatismum Acutum cum *Synochæ* ſignis ſemper incipere, ſolere. Hæc autem febris, morbo progrediente, vultum ſuæ naturæ mutare, & alius febris curſum tenere, facile poteſt. Si quis ergo *Synocham* *Febrem* per totum morbi decurſum ſemper durare contenderit, a verò aberrare videtur. Huc refer-



referrem Cl. RICARDUM COWLING; nisi in fine
 periodi, cum limitatione quadam locutus fuisset. Ita autem
 ille: *Rheumatismum Acutum, comitantur communia
 Synochæ symptomata, aliquantulum variata* o). Febris
 igitur, initio solita Synochæ signa ostendit. Ante acces-
 sum autem ejus, languoris & lassitudinis sensus totum cor-
 pus invadit. Ipsa vero febris incipit cum horripilatione
 & frigore, omnes corporis partes, imprimis tamen mem-
 bra extrema, occupantibus. Frigus nonnumquam usque
 ad tremorem accedit. Primo spinam dorsi adoritur. Dein-
 de per totum corpus cum rigore dispergitur. Pulsus,
 frigoris tempore, semper debilis est, & celer. Stadium
 vero frigoris, cujus signa nunc exposuimus, excipit stadium
 caloris, quod indicat calor magnopere auctus, cum icti-
 bus arteriarum crebris, validis & duris. Urina, rubro
 colore tineta, initio morbi nullum sedimentum deponit.
 Progressu vero, & versus finem febris, aliquid, laterum
 sabulo simile, vel furfuraceum, in fundo residet. Ejusmo-
 di autem urinæ constitutione raro levatur febris; sed
 æquo concitata continuat. Sensorii functiones non mul-
 tum perturbatæ sunt. Calor, cum quo febris est con-
 juncta, initio præsertim, præcordia anxietate cruciat. Non
 vero multo post, illinc demigrans, partes externas corpo-
 ris petit. Ei etiam aliquando adjuncta est in spiritu du-
 cendo difficultas, quæ Medicis *Dyspnœa* dicitur. Sub his
 symptomatibus, pyrexix signa ostendentibus, ægrum quo-
 que adficere solent: Sitis, præcipue sudoris tempore
 urens; defectus adpetitus, sæpius cum nausea, raro cum
 pleno vomitu. Lingua fit arida, & initio morbi quasi
 albescit; postea autem, febre crescente, subnigro colore
 imbuatur. Simulque dolor capitis seu Cephalalgia, nec
 non Vertigo, per totum caloris tempus ægrum vexant.
 Hæc affectiones subsequuntur: Inquietudo, anxietas, &
 insomnia



o) *Dissert. de Rheumatismo* p. 11.



insomnia, cum irrequieta jactatione. Oculi solis lucem interdum tolerare nequeunt. Facies, colore rubro suffusa, ardet. Solitæ evacuationes, ut hæmorrhoides virorum, & menstrua feminarum, plerumque retardatæ sunt & suppressæ. Alvus plerumque adstricta sub toto morbi decursu reperitur. Sudor, accessu morbi raro ullus; si vero fuerit, glutinosus, & frigidus, simulque partialis est. Aliquando sponte elicitur, sed quam maxime raro. Is vero, talem constitutionem habens, qualem nuper descripsimus, rarissime symptomata mitigat; insolentiusque morbum depellit. Si autem copiosus, calidus, & largus, totum corpus sponte perfluit; dolorem levat, & interdum crisin efficere potest. Quando universalis & largus non est, neque symptomata lenit; pars affecta plerumque arida est. Sanguis, e vena missus, jamque in patellam receptus, crusta coriacea alba, seu inflammatoria, ut in aliis morbis, inflammationem comitem habentibus, obducitur. Pyrexia, quam comitem sibi adjungit Rheumatismus, temporibus vespertinis exacerbatur, dum dolores ad locum mutandum valde sunt proclives. Proximo autem die mane febris lenitur, & dolores mitiores aliquantulum deprehenduntur. Quæritur vero, an febris accedat, antequam dolorem æger passus fuerit Rheumaticum? vel an corpus teneat dolor, priusquam signa febrilia sese ostenderint? vel an eodem tempore ægro incidant? De hisce omnibus, nihil certi statuere audeo, quum interdum unum, interdum alterum observatum fuerit. Dolor vero, nunc acutus est & acer, nunc gravis magis & obtusus. III. CULLEN in definitione Rheumatismi Acuti dicit, dolorem tractum musculorum sequi; hoc tamen ita intelligendum putamus, ut potius involucra musculorum, quam ipsos musculos afficiat. Sæpe etiam Aponeuroses tendinum, eorumque vaginas, ipsa parte tendinosa manente integra

c 2

atque



atque intacta, cruciat. (Cfr. ea, quæ hac de re in §:pho I. Schol. I. attulimus). Artus majores potissimum, ut genua, coxendix, lumbi, humeri, cubiti; atque aliquando tarsi & carpi; rarissime vero juncturae digitorum; dolore Rheumatico urgentur. Si autem *Odontalgia*, & *Pleuritis Spuria*, (vid. §. I. Sch. I.) ab Ill. de SAUVAGES *Pleurodyne* dicta, ad Rheumatismum referendæ sunt; etiam dentes, gingivas, & maxillas, nec non pectus, adgredi dolores Rheumatici possunt. Initio solum unum articulum dolor adficere solet. Interdum autem hoc morbo crescente, & multum pro-
fecto, contingit. Quo in casu, vel febris nulla est, vel saltem lenior, ut difficile observari possit p). Quo vero vehementior febris sit, eo graviores evadunt dolores; eo citius quoque plures articulos adgrediuntur; & verbo, eo molestior fit totus morbi decursus q). Hinc etiam Rheumatismus in *Vagum* & *Fixum* jure dividitur. Quando vagus est dolor, ex uno loco in alium demigrat, plerumque, donec omnes artus majores, alium post alium, alternis & sæpe repetitis vicibus cruciaverit r). Raro tempus, quo in eodem loco fixus manet unum aut alterum diem excedit. Minimo motu musculorum, partem adfectam regentium, cruciatus cietur. Calor lecti, & mollieties strati ægroto molestiam adfert. Longiori progressu, dum malum altius radices egit, plures artus simul dolore premuntur. Aliquando totum corporis ambitum dolor ad-
gredie-

p) van. SWIETEN. *Comment.* T. V. p. 653.

q) van. SWIETEN. loc. & pag. cit.

r) Ejusmodi dolorum alternationis, ut hoc vocabulo utar, exemplum suppeditat Cl. RICARD. KISSAM, *Dissert. de Rheumatismo Acuto* p. 5 & 6. Tale quid etiam apud van. SWIETEN, *Comment.* Tom. V. p. 653 & 654. occurrit.

greditur. De qua re Ill. Viri STÖRCK s), JUNCKER t), & TISSOT u), testimonia perhibent. Vidimus quoque nos ejusmodi exemplum in puero vix duodecim annos nato. Tum vero status ægroti miserabilis est, & dolendus. Nulla membra corporis movere aut flectere potest. Pondus tegumenti ferre nequit, sed columellis id suffulcire, est necessum. Quassatio lecti, etiam minima, ei molestiam adfert. In cubiculo, si quis ambulet, vel alio modo se moveat, dolor augetur. Omnia autem ejusmodi horrenda doloris signa adferre, supervacuum ducimus. Pars, per aliquantulum temporis adfecta, plerumque tumore, conjuncto cum rubedine, elevatur. Hoc vero non semper contingere, testantur Ill. van SWIETEN v) & ANTON. STÖRCK x). Hi etiam Cel. Viri observarunt, multos ægros tumore Rheumatico albo per totum corpus adfici y). Ipse autem tumor minimo motu vel adtactu, & frigoris accessu, etiam levissimi, augetur & crescit. Raro quoque evenit, ut tumor & rubor dolorem partis affectæ funditus tolerant; licet sæpe eum lenire queant. Aliquantulum doloris & tumoris in parte antea affecta plerumque remanet. Neque ea a reditu doloris prorsus est libera. — Febris sensim decedit. Raro ultra septimanam secundam vel tertiam continuat. Ejus tamen solvendæ tempus

c 3

præ-

s) *Ann. Medic. Secund.* p. 126 & 127. Totius casus descriptio apud van SWIETEN loc. cit. p. 654. legi potest.



t) *Conspect. Medicinae Theoret. & Pract.* Tab. XIX. p. 150.

u) *Avis au peuple sur sa Santé*, edit. 1766. Tom. I. §. 163. p. 191.

v) loc. cit. p. 656.

x) *Ann. Med. Secund.* p. 113 & 122.

y) vid. van SWIETEN *Comment.* Tom. V. p. 656 & STÖRCK *Ann. Med. Secund.* p. 116.



præcise definire non possumus. Sæpe contingit, febrem discedere, dum dolor parti cuidam se adfixit. Interdum autem symptomata febrilia haudquaquam mitigantur, sed augentur, quamquam dolor jam ad artus advenit. Quando vero febris remittit & desinit, dolores plerumque remanent z). Sæpe quoque ingravescent; quod SYDENHAM a) ex materia febrili in artus translata oriri, putat. Si, febre cessante, dolor longe progreditur, aut augetur, & repetitis vicibus retrogreditur; morbus Rheumatismi aliam induit Speciem, quæ Chronica dicitur. Clare igitur adparet, quam necessarium sit, subito & efficaciter Rheumatismo Acuto occurrere. Alias enim facile diurnus seu Chronicus fieri potest. Hic enim, quantum illum gravitate exsuperet, exinde perspicui potest, quod hic rigiditatem, ancylosin, interdum quoque paralyfin, quibus nullum fere est remedium, sibi adjunctas plerumque habeat; præsertim si longo tempore in parte quadam duret b). Ejus plura dolenda exempla apud van SWIETEN c) & TISSOT d) legi possunt. — Multi contendunt cum Cel BOERHAAVE e), & SYDENHAM f) Rheumatismum habere periodicum illum itum & reditum, qui in Podagra seu Arthritide observantur. van SWIETEN g) autem probe notavit, Rheuma-

z) vid. HOFFMAN. *Oper. Phys. Med.* T. II. p. 315. §. XI.

a) *Prax. Medic. Experiment.* Sect. VI. Cap. V. p. 344.

b) Si durat [dolor Rheumaticus] inquit Cel BOERHAAVE, sæpe post atrocissima tormenta articulum motu privat, anchylosin creat, vix ulli cedentem remedio. *Aphorism.* §. 1492.



c) *Comment.* Tom. V. p. 658 & 659.

d) *Avis au peuple* §. 166. p. 193.

e) *Aphorism.* §. 1491.

f) *Prax. Med. Exper.* Sect. VI. Cap. V. p. 345.

g) *Comment.* Tom. V. p. 657.





Rheumatismum in se & sua natura cum iis non esse conjunctum. Multos enim se novisse, refert, qui semel tantum per totam ætatem hoc morbo laborarunt. De cetero, si Rheumatismus pluries redit, Acutus esse definit; sed in Chronicum Rheumatismum degenerat. Dolores vero, qui Rheumatismum Acutum comitantur, [quando nimirum in Chronicum non vertitur] plerumque sensim decrescunt & evanescent. Quamobrem plerumque sine crisi quadam notabili ab ægro discedere solent. Hoc vero nonnunquam evenire, §:phus VII:ma monstrabit, ad quam igitur Lectorem ablegamus.

Schol. 2. Rheumatismus Acutus potissimum grassatur in illis regionibus, ubi neque intensum frigus, neque immoderatus calor urget; inprimis si vicissitudinibus æris subitis & insignibus frequenter sint expositæ. In plagis vero cæli frigidissimis & calidissimis rarius occurrere Rheumatismum, probabile videtur *). Nam, quo magis ad meridiem vergit regio, eo constanter calor; & quo Septentrionibus vicinior, eo constanter frigus. Hinc quoque noster morbus vere & autumnus, utpote, qui calore & frigore maxime variant, plurimum urget. Hanc autem varietatem cæli, inprimis si humiditate stiperetur, facile transpirationem cohibere, & inde Rheumatismum excitare posse, infra ostendemus.

Schol. 3. Nullam ætatem, sexum, temperamentum vel constitutionem corporis, speciatim adgreditur hic morbus. Sæpius tamen vexare deprehenditur homines, qui vitam agunt

*) An & quomodo grassetur hic morbus in plagis propius Boream jacentibus ut Lapplandia, Islandia &c. nondum quantum ego scio, certe evictum est. Rheumatismum vero in regionibus versus meridiem jacentibus rarissime grassari, testimonium HILLARII, de morbis insulæ Barbadoensis Scribentis, confirmat. CLIFFHORN quoque morbos insularum Balearium tradens, Rheumatismum ibi rarissime occurrere, testatur. Cfr. COWLING *Disser.* de Rheumatismo p. 13.



agunt mediam, inter annum scilicet decimum quintum & trigesimum quintum. Hinc etiam potissimum Plethoricos, quibus temperamentum est sanguineum, & habitus plenus, invadit. Quamobrem HIPPOCRATES h) notat, eos imprimis Rheumatismo esse expositos, qui ætate juniore hæmorrhagias narium sæpe passi sunt, quæ postea cessarunt. Frequentia enim sanguinis profluvia complexionem plethoricam indicant. Quod vero HIPPOCRATES de Hæmorrhagia narium dixit, id etiam de aliis evacuationibus solitis valet i). Quisnam autem sexus plurimum huic morbo sit obnoxius, difficile determinari potest. Probabile tamen est, eum speciatim hunc vel illum sexum non adgredi.

§. IV.



Diagnosıs Rheumatismi Acuti.

Morbi, qui cum Rheumatismo Acuto confundi ullo modo possunt, præcipue sunt: Syphilis, Scorbutus, Arthritis seu Podagra, & Rheumatismus Chronicus. Siphylitidis & Scorbuti ab hoc morbo discrepantiam, causæ & symptomata, singulis propria, satis ostendunt. Podagra vero ab hoc morbo differt: 1:mo Ratione Causarum Remotarum. 2:do Respectu Causæ Proximæ. 3:tio Respectu Ætatis, Sexus & Temperamenti; & denique 4:to Ratione Sedis & Symptomatum. Inter Chronicum autem Rheumatismum & Acutum, limites justos figere, haud difficile is potest, qui Symptomata horum morborum diversa probe pensat.



Schol.

h) vid. HOFFMANNI *Oper. Phys. Med.* T. II. p. 319. §. XIII.

i) Cfr. HOFFMAN loc. cit.





Schol. 1. In Diagnosi constituenda inter Syphilitidem, ut & Scorbutum, atque Rheumatismum Acutum, multum esse, vetat temporis ratio habenda. Dolores quidem Syphilitici & Scorbutici sæpe Rheumaticis valde similes sunt; adeo ut eos distinguere interdum quam maxime arduum sit. Nulla autem difficultas ab hac re Medico erit, si tantum causas morbi exacte quærat, & signa juste contempletur. Difficilius aliquantum est, justos limites Rheumatismi Acuti & Podagræ statuere. Ille vero ab hac eo accuratius est distinguendus, quo verius est, horum morborum multa signa dari communia. Eos autem diversos morbos esse, ostendunt: 1) Causæ eorum Remotæ. Acutus nempe Rheumatismus causis externis & plerumque evidentibus, frigoribus scilicet corpori exæstuantis admotis (vid. §. V.) originem debet; dum alter causis occultis internis, quæ nimirum debilitatem & statum plethoricum inducunt, conflatur. Arthritis porro seu Podagra plerumque morbus est hæreditarius; ad quem igitur producendum opus est dispositio hæreditaria. Nostrum e contrario morbum hæreditate propagatum nunquam vidimus. Horum vero morborum diversitatem suadet; 2) Causa eorum Proxima. Podagra scilicet est affectio quædam nervosa, quæ a debilitate Systematis nervosi, & speciatim a mutatione æquilibrii diversarum ejus partium, proximum ortum ducit. Rheumatismus vero Acutus morbus est inflammatorius, qui inflammationi originem debet. (vid. §. VI.). Hi morbi distinguuntur; 3) Ratione Ætatis, Sexus & Temperamenti. Rheumatismus Acutus juvenes potius, & eos qui temperamentum pure sanguineum habent, invadit. Podagra vero raro aliquem antea, quam plenam maturitatem ætatis est assecutus, adgreditur, atque in finem vitæ ingravescit; & temperamentum potius Cholericum-sanguineum



neum adoritur. Rheumatismus porro nullum sexum speciatim adgreditur. In Podagram vero perraro feminæ incidunt, nisi viragines sint, quarum corpora ad virorum structuram quodammodo accedunt. Rheumatismus Acutus differt a Podagra: 4) Respectu Situs & Symptomatum. Ille nempe involucra musculorum atque tendinum infestat, & artus majores potissimum obsedit. In hac vero ipsa ligamenta, quæ ossa inter se jungunt, dolore premuntur; & minores potissimum atque extremas ossium juncturas, præsertim pollicem pedis, afficit. Ille etiam latius plerumque, quam hæc, se diffundit. Hæc quoque, dum locum mutat, quod rarius contingit, de illo in alium articulum, ei ex adverso latere respondentem se conjicit; v. gr. de sinistro pedis pollice in dextrum, & vice versa. Ille vero, quando sedem variat, de ea plerumque ad alterum extremum ejusdem lateris transit; v. gr. de genu sinistro in humerum sinistrum, & versa vice. Hæc sæpenumero cum ventriculi vel aliarum internarum partium adfectionibus alternat, præcipue si æger debilioris sit complexionis. Ille autem, etiamsi ægrotus simili præditus sit constitutione, plerumque externas solum partes adficit. Sed satis de situs diversitate. Symptomata considerare oportet. Dolores in Podagra semper fere febrem antecedunt. Ea autem sæpissime dolores Rheumaticos præcedit. Concretiones Tophaceæ seu calcareæ in Podagra sæpissime circa articulorum ligamenta generantur, quod numquam fieri in nostro morbo, constat. Podagræ quoque adgressum plura prægredi solent symptomata, ut cessatio sudoris pedum soliti, torpor & languor in universum, &c. k). Sentiantur pariter varia Indigestionis indicia, quæ tamen

k) vid. Cl. PRÆSIDIS *Dissert. Inaugural. de Podagra*, 1780 habit. p. 5. Huic Operi, doctrinam Ill. CULLENI lucide exponenti, plurima, quæ de Podagra attuli, debeo.





ante diem paroxysmi evanescent. Rheumatismi autem accessui ejusmodi signa præludere non solent; sed subito adgreditur hic morbus. Neque certis & fixis stadiis atque paroxysmis revertere solet Rheumatismus Acutus, ut in Podagra plerumque accidit. Si igitur, Rheumatismum Acutum recurrere, contingeret, causa recenti admota cietur. Quando vero Podagra redit, raro a nova causa excitatur. Ille denique breviori tempore durat, quam hæc quæ duitius ideo inhærescit. Num vero in urina arthriticorum filamenta quædam natent, quæ Arthritidem seu Podagram a Rheumatismo distinguant, ut Cel. CLERK 1) narrat, nondum satis certe stabilitum est.

Schol. 2. Rheumatismi Acuti & Chronici limites paucis statuamus. Hoc eo difficilius est, quo certius constat, hunc illius plerumque sequelam esse, & utriusque fines a Medicis nondum satis esse determinatos. Diagnosin autem horum morborum in sequentibus ponere, in ipsam eorum indolem optime quadrare, putamus. Si nempe dolores adhuc vagi sint, noctuque increcant, atque febrem, tumorem, ante omnia vero rubedinem, comites habeant, morbus adhuc Rheumatismi Acuti cursum tenet. Sin vero nulla pyrexia restat; vel pars affecta, tumore, præsertim vero rubore destituta, sponte frigescit atque rigescit; & raro sudorem, nisi frigidum, tenacem atque haud spontaneum, emittit; inprimis autem, si dolorem calor externus levat, frigus vero augeat; Rheumatismus habendus est pure Chronicus. Accedit, quod Acutus Rheumatismus præcipue sedem in membranis muscolum & tendinum habeat. Morbo autem inveterato, dolor altioribus radicibus defigi incipit; & ipsos musculos articulorum ac ligamenta adficit. Hinc Ancylosin,

d 2

ortam

1) Apud PRINGLE *Beobachtungen über die Krankheiten einer Armee* p. 176.



ortam ex ligamentis rigescentibus, sibi sæpe adjunctam habet Chronicus Rheumatismus. Hæc vero in Acuto numquam adest, cum ligamenta non obsideat, neque in articulis tam diu duret, ut naturalem secretionem mucii articularis turbare possit m). Rheumatismum porro Chronicum, quando Acuti sequela non est, excitant luxationes leves, nimius motus vel contentio membrorum, & similia *). Rheumatismum, contra Acutum frigus plerumque producit. Ille quoque partes, musculis plurimis obductas, quæque motu sæpissime cientur, potissimum infestat; quod de hoc dici nequit. Plura vero signa Diagnostica adferre, supervacaneum omnino est.



§. V.

Causæ Remotæ huius morbi.

Hæ in *Prædisponentes* & *Occasionales* optime dividuntur. *Prædisponentes* eas dicimus, quæ corpus ita disponunt, ut, si adveniant causæ occasionales, morbo obnoxium fiat. *Occasionales* vero seu *Excitantes* eæ sunt, quæ in corpore antea prædisposito morbum producunt. Ad causas prædisponentes referimus: 1:mo Omnia ea, quæ plethoram faciunt, & sic corpus ad diathesin phlogisticam proclive reddunt. 2:do Quæ mobilitatem systematis nervosi

m) Cfr. van SWIETEN *Comment.* T. V. p. 658.

*) Quando vero hæ causæ Rheumatismum Chronicum excitant, dolores initio Rheumatismi Acuti æmuli observantur; statim autem inde Chronici indolem induunt. vid. CULLEN *First Lines of the Practice of Physic*, edit. Edinburg. 1787. Vol. II. p. 21. Totam fere Diagnosin Rheumatismi Acuti & Chronici ab hoc opere sumsi.



nervosi augment: Et 3:tio Ea, quæ corporis in genere tonum & vim intendunt. Causa autem Occasionalis hujus morbi frequentissima est frigus, quocunque modo corpori admotum.



Schol. 1. In eorum numerum, quæ plethoram inducunt, præcipue admittenda sunt: α) Temperamentum Sanguineum. (vid. §. III. Schol. 3). Constitutionem enim corporis sanguineo-plethoricam, & humores ad diathesin phlogisticam aptiores, sibi plerumque adjunctos habet. Non igitur mirum, quod huc etiam referatur: β) Ætas media. Ii enim, qui hujus sunt ætatis, temperamentum sæpius habent sanguineum, & hinc complexionem plethoricam. Quamobrem morbus noster eos potius, qui ætatem agunt mediam, seu juvenilem, quam ætate proVectos, adoritur. γ) Vita otiosa seu sedentaria. Nihil enim magis ad plethoram & diathesin phlogisticam conducere potest, quam sanguinis retardatus nimium motus n). Hoc autem fit, cessante motione corporis necessaria. δ) Cibi, præsertim animalis, copia justo major. Hanc majorem quantitatem nutrimenti, & hinc plethoram, producere, facillime est visu o). Præcipue autem luxuria plethoricum inducere statum potest, si motus corporis debitus & sufficiens ei non adjungitur. ϵ) Solitarum evacuationum subita suppressio. Huc pertinent: Transpiratio imminuta, vel a frigore, frequenti Rheumatismorum causa, impedita; menses feminarum; aliæque evacuationes spontaneæ suppressæ.

d 3

Schol.

n) Cfr. Nobil. Prof. E. ROSENBLAD *Dissert. de Inflammatione, potissime autem venosa* Resp. ÖSTMAN, 1780. habit. p. 10 & 11.

o) Cfr. Cl. SEGERSTEDT *Dissert. Doct. de Nutrimeto Corporis superfluo ut vera Arthritidis causa*; Præf. cel. J. G. ACREL, 1787. Upsal. habit. p. 12.



Schol. 2. Ad ea, quæ mobilitatem systematis nervosi acce-
rant, inter multa alia, referenda sunt: α) Status con-
valescens β) Morbi præcedentes, diuque hærentes, sed
male curati. γ) Calidum cubiculum. δ) Usus sudato-
riorum vel Thermarum immodicus. ϵ) Usus Opii ni-
mius, aliorumque medicamentorum, systema nervosum
mobilius facientium; quæ igitur caute sunt adhibenda.



Schol. 3. Proximum nunc est, ea, quæ corporis in genere
tonum & vigorem augment, adferre. Huc spectant: α)
Regiones, versus zonam frigidam sitæ. (vid. §. III. Sch.
2). β) Tempestates frigida. γ) Abusus medicamento-
rum tonicorum, v. g. corticis Chinchinæ.

Schol. 4. Inter causas occasionales Rheumatismi Acuti pri-
mum locum jure obtinet frigus. Hoc, quocunque qui-
dem modo corpori adplicatum, morbum nostrum exci-
tare valet. Potissimum tamen singulari parti, reliquo
corpore calido, admotum, quod Suethice optime dicitur
Drag, causam excitantem hujus morbi constituit. Fa-
cile enim patet, corpore antea multum calefacto, per-
spirationem copiosius incidisse; dum frigus facilius per
poros invisibiles in corpus penetrat. Frigus vero effi-
cacissime operatur, si humiditas advenit. Causa enim
tum duplex est. Hinc bene notum est, plurimos Rheu-
matismum, quo affliguntur, usu vestium humidarum con-
traxisse. Quomodo autem ad Rheumatismum operetur
frigus, in subsequenti § pho expendere conabimur.

§. VI.

Causa Proxima Rheumatismi Acuti.



Causa hujus morbi Proxima est Inflammatio,
quæ præcipue sedem habet in vasis minimis, juxta
mem-



membranas musculorum & tendinum repentibus. Hanc vero inflammationem constrictioni cuidam spasmodicæ vasorum extremorum originem debere, probabile videtur.

Schol. I. Inter omnes fere Medicos convenit, morbum nostrum ab inflammatione ortum petere. Quomodo autem hæc inflammatio exurgat, diu multumque fuit disputatum. Quidam Acrimoniam cuidam peculiari Rheumatismum adscripserunt. Licet vero multi Clarissimi Medici huic opinioni faveant; percipere tamen nequeo, quid cum vicissitudinibus aëris commune habeat acrimonia; vel cur ea potius articulos, quam alias corporis partes adficiat; vel etiam quomodo sanguinis missio ad acrimoniam a parte adfecta depellendam conducat. Hisce similibusque rationibus inducti, materiam acrem in humoribus generatam, ut causam proximam Rheumatismi adsumere, non audemus. Alii cum COTUNNIO, scriptore Italo, materiam acrem nervo Ischiadico admotam, causam proximam Ischiadis nervosæ constituere, putarunt. Hanc autem sententiam sola hypothesi nixam esse, Illustri CULLEN p) videtur; cum causis remotis, phænomenis & curationi morbi non conveniat. Faletur tamen idem Cel. Auctor, acrimoniam circa nervum collectam, Odontalgiam, Rheumatismo adfinem, movere posse; ut in dente carie infestato vidimus. Alii, lentorem & visciditatem humorum causam proximam Rheumatismi esse, crediderunt. Multi autem sunt, qui hunc lentorem in corpore humano vivo adesse non posse, plurimis rationibus & experimentis demonstrare conati sunt; in quorum numerum imprimis referendus est Cel. HEWSON. Quid de his sit sentiendum, nostrum non est expendere. Medicamenta sudorifica, tenuissimas partes

p) *First Lines of the Practice of Physic.* Vol. II. p. 22. & 23.



tes sanguinis, spissioribus relictis, elicientia, multamque in Rheumatismo habentia utilitatem, aliaque, lentori sanguinis, in nostro saltem morbo, favere non videntur. Quæ cum ita sint, ne in immensum æquor delabamur, hanc quoque hypothesin, de spissitudine sanguinis ut vera Causa Proxima Rheumatismi, relinquere cogimur.

Schol. 2. Hisce præmissis, cum Ill. CULLEN q) sequentem Rheumatismi Pathologiam proferre, mihi liceat. Frigus, frequentissima Rheumatismi causa, inprimis vasa articulorum adficit, utpote, quæ minus tela cellulari, quam reliquæ corporis partes, teguntur. Ita vero operatur, ut vasa extrema coarctet. Hac constrictione vapores illos, qui per poros cutaneos e corpore exirent, intus includit. Hinc tonum & diathesin phlogisticam per totum vasorum extremorum decursum diffundit. Postremo cor ipsum & reliquas arterias pari modo adficit. Hinc fit, ut impetus sanguinis per totum corpus acceleretur. Hic impetus omnia vasa, inprimis vero vasa extrema partis laborantis coarctata, expandit. Distentæ præter modum partes reactionem vasorum ulterius augent; & vel majorem humorum quantitatem ad partem adfectam dirigendo, vel ipsum sanguinem rarefaciendo, aut denique solida constringendo, vasorum capacitatem diminuit; unde necessario fluida in circulatione impediuntur. Hinc dolor, tumor, calor, rubedo, aliaque signa inflammationis, oriuntur. Ut autem hæc congestio auferatur, resistentia in vasis jamdudum formata, vim excitat medicatricem naturæ, qua cor ad impetum sanguinis ulterius augendum incitatur. Quo vero hoc eo facilius efficiatur, stadium exoritur frigoris, & spasmus formatur, unde pyrexia eum diathesi phlogistica per totum systema vasculosum distribuitur. Hocce CULLENI de

q) loc. cit. p. 24 & 25.



de caussa proxima Rheumatismi ratio cinium, præclaram omnino eruditionem & magnum ingenium indicat. Hypothesis tamen, prohi dolor! est.

§. VII.

Prognosis.

Prognosis est iudicium Medici de eventu morbi futuro. Exitus Rheumatismi Acuti raro funestus est, nisi perperam tractatus fuerit, vel aliæ causæ adveniant, quæ efficiunt, ut vel in Chronicum Rheumatismum, aliosve morbos fere incurabiles, degeneret, vel etiam ad viscera, vitæ necessaria, transferatur; unde sæpissime mors accedit. Acutus Rheumatismus plerumque Resolutione terminatur; rarius Suppuratione; adhuc rarius Scirrhus vel Gangræna.

Schol. I. Prognosin igitur Rheumatismi Acuti in Faustam & Funestam jure dividimus. Circa Prognosin faustam in genere hoc notandum, felicem exitum esse expectandum, si æger non multo provectæ sit ætatis, & constitutione corporis præditus sit alioquin firma & sana; atque si ille nunquam antea hoc morbo tentatus fuerit. Propitium etiam iudicium de eventu morbi facere possumus, si curatio idonea adhibetur, & tam symptomata febrilia, quam ipsi dolores, leniora sunt. Speciatim autem observare licet, nostrum morbum plerumque sine crisi quadam notabili finire. Eum tamen interdum sudore spontaneo, copioso & fluido; nec non urina copiosa limpida & lateritia; hæmorrhagiis spontaneis; diarrhœa; somno arcto & recreante, post nimias vigilias ægrum complectente;




adpetitu releunte; efflorescentiis cutaneis, similibusque; terminatum esse, multis exemplis comprobatur. Sed his crisis minus est inuitendum. — Exitus morbi funestus est suspicandus, si ægrotus ætatem præcipitatem jamjam attigerit, & habitu gaudeat infirmo ac debili; simulque, si cum hic morbus antea sæpius oppresserit. Si dolores in uno articulo diu fixi hærent, Acutum Rheumatismum in Chronicum degeneraturum valde probabile est. Cum enim dolor per longum tempus juncturam quandam ossium tenet, necessario mucus ille lubricus subpinguis, qui cavitatibus eorum illinitur, debitam secretionem non subit. Hinc coagulatur & spissescit, suamque lubricitatem, quæ motui articulorum inservit, prorsus amittit. Inde articuli movendi impotentia, quam Græci Ancylosin nominant, oritur. (Cfr §. IV. Sch. 2). Quando morbus noster morte finitur, viscera, quæ functiones vitales sibi injunctas habent, plerumque adoritur. Inprimis vero ad pectoris cavitatem demigrat hic morbus. Omnia mala, ut apoplexiam, paralyfin, peripneumoniam &c. quæ Rheumatismus, interiora petens, producit, recensere, nimis longum foret. Interdum, testibus Cel. Viris *van* SWIETEN ^{r)}, STÖRCK ^{s)}, pluribusque, accidit, ut affectiones partium externarum & viscerum pluries alternent, adeo ut dolor nunc illas, nunc hæc cruciet. Quo in casu ægrotus in majus adducitur periculum. Fit quoque, raro licet, ut ipsa inflammationis violentia, ægrum e medio tollat.

Schol. 2. Terminatio morbi nostri plerumque est Resolutio. In eo autem a ceteris morbis inflammatoriis est diversus, quod raro in suppurationem eat. Hoc quidem exinde oritur, quod hic morbus membranas præsertim

&

^{r)} *Comments.* Tom. V. p. 654.

^{s)} *Ann. Med.* II. p. 126.



& involucra musculorum infestet, quæ difficile & tarde suppurant, propter structuram suam tensam & arctam, quæ effusionem haud facile recipit. Quandoque tamen suppurare Rheumatismum, testantur Ill. Viri *van SWIETEN* t) & *TISSOT* u). Idem quoque confirmat Nobil. noster Professor *EBERH. ROSENBLAD* v), dum dicit, se vidisse, Rheumatismum suppurasse, sed 3, 4, & ultra præterisse septimanas, antequam hoc incidere. Cavendum autem ne tumorem Rheumaticum ingentem statim pro abscessu seu apostemate sumamus. Eo enim pertuso, pus non effluxit, sed glutinosus & lentus humor, qui calore potuit inspissari x). Quamvis autem raro in suppurationem eat Rheumatismus; interdum tamen propensionem ostendit ad effusionem fluidi cujusdam seroso-gelatinosi in thecas tendinum. Hanc quidam suppurationem indicare male putarunt y). Terminaciones Rheumatismi in Scirrhum aut Gangrænam admodum raræ sunt; quod naturæ partium adfectarum est tribuendum. Rheumatismum tamen, ad intestina conjectum, in Gangrænam degenerasse, Cel. *TISSOT* z) testatur.

§. VIII.

Methodus Medendi.

Quoniam ex supra (§. V. & VI.) dictis patet, Rheumatismo Acuto inesse Diathesin Phlogisticam,

e 2

una

t) loc. cit. p. 661.



u) *Avis au peuple* §. 175. p. 198.

v) *Dissert. de Inflammatione Venosa* p. 31.

x) *van SWIETEN Comment. Tom. V. p. 655.*

y) vid. *CULLEN First Lines &c. Vol. II. p. 16 & 17.*

z) *Avis au peuple* §. 164. p. 192 & 193.



una cum spasmodica constrictione extremorum vasorum, & humorum in partem adfectam abundantiori confluvio, vasorum actionem, ibi auctam, sustinente; in hoc morbo curando tres Indicationes formare Medicus debet, scilicet: 1:o Diathesin Phlogisticam tollere. 2:o Extremorum vasorum spasmum remove. 3:o Impetum sanguinis in locum adfectum retardare.

Schol. 1. Primæ Indicationi iuserviunt: 1) Totum Regimen Antiphlogisticum, sola adplicatione frigoris excepta. In primis cibo animali & liquoribus spirituosus vel fermentatis se abstinere debet ægrotus. Pro iis substituenda sunt vegetabilia mitiora, diata lactea, & frequens usus potus blandi ac diluentis a). 2) Venæ Sectio. Quoniam hæc efficacissimum est remedium contra Diathesin Inflammatoriam; non mirum est, multos Medicos largam & sæpe nimiam sanguinis detractionem in morbo nostro medendo commendasse. Sanguinis quantitatem detrahendam, dolorum violentia & status febrilis, determinabunt b). Aliquem etiam respectum, inter alia, ad ætatem, vires, & temperamentum ægri, habere debemus. Hinc primis potissimum diebus sanguis in nostro morbo mittendus est, nam ægrotus tum facilius sanguinis jacturam ferre potest; & repetitis vicibus, si dolor & febris hoc postulent c). Ultra secundam vel tertiam Venæ Sectionem progredi, raro opus est d). Si sympto-
mata

a) CULLEN *Practice of Physic*. Vol. II. p. 28.

b) CULLEN loc. cit. p. 25.

c) CULLEN loc. & p. cit.

d) van SWIETEN *Comment.* T. V. p. 666. BANG *Præx. Med.* p. 205.

mata leviora sint, & ægrotus debilis, absque sanguinis missione curari morbus potest e). Duplici quoque casu Venæ Sectionem tamquam noxiam declarat Cel. BANG f). Quando nempe dolores Rheumatici ætate provectos homines adficiunt, qui arthritide antea laborarunt, quique vitam agunt luxuriosam, valde ad hunc morbum disponentem corpora, vix ultra unicam Venæ Sectionem, si dolorum vehementia eam requirat, suadet. Tum enim suspicandum est, Rheumatismum naturam & originem arthriticam habere. In Rheumatismo, senioreni infestante, ter repetitam Venæ Sectionem apoplexiam generasse, refert. Dum biliosa symptomata, ut vertiginem vel dolorem capitis, linguam fuscam, saporem amarum, & similia, sibi adjuncta habet dolor Rheumaticus, prorsus relinquendam esse Venæ Sectionem, jubet. Illis enim inquit, *nocet Venæ Sectio plus, quam his prodest; ideoque prohibenda est, ejusque loco methodus antibiliosa eligenda.* Ad sanguinem detrahendum audacior aliquantum Ill. CULLEN g) est. Fatetur tamen, sanguinis missionem nimis profusam morbum protrahere, ideoque facile Chronicum Rheumatismum producere posse. 3) *Laxantia antipblogistica*, quæ tamen non antea sunt adhibenda, quam febris remittit h). Ex iis mitissima sunt eligenda, quæ totum systema non stimulant i). Ejusmodi sunt: Salia media, Folia Sennæ, Manna, & similia k). Cavendum vero a dejectionibus crebris, quæ ægroto valde incommodæ sunt, atque, motum & dolorem

e 3 ciendo,

e) van SWIETEN l. & p. c. BANG l. & p. cit.



f) loc. cit. p. 205 & 206.

g) *Pract. of Phys.* Vol. II. p. 29.

h) TISSOT *Avis au peuple* §. 170. p. 196.

i) CULLEN *Pract. of Physic*. V. II. p. 30.

k) vid. van SWIETEN *Comment.* Tom. V. p. 668.



ciendo, magnam ei adferunt molestiam l); & diu adhibita, eum magnopere debilitant m). Clysteres emollientes, si dolorum vehementia eorum applicationem permittit, frequenter adhibere, jubet Cel. TISSOT n). Alias potum maxime emollientem, & Cremorem Tartari quovis tempore matutino & vespertino propinandum, commendat. Cl. BANG o), dum alvus adstricta reperitur, sequentem præscribere solet formulam: *Rc. Nitri depurati, Lactis Sulphuris, ana scrupulum. Adde Camphoræ gr. II. M. f. pulv. quovis triborio sumendus.*

Schol. 2. Altero Consilio, quod sequi debet Medicus, conveniunt omnia remedia, quæ cursum humorum ad superficiem corporis dirigunt. Huc spectant: 1) *Sales Neutri*, qui, transpirationem promovendo, & excretiones atque secretiones augendo, morbo nostro magnam præbent utilitatem. 2) *Media Diaphoretica*, quæ ex Antiphlogisticorum genere desumi debent. Ad hæc confugiendum est, quando Venæ Sectio, & reliqua supra allata remedia morbum ex toto non tollunt p). His omnibus præstat *Pulvis Dometi* seu Pulvis Ipecacuanhæ Thebaicus, utpote, qui minus febris, caloris vel stimuli generat. Dosis adulto est semidrachma vel scrupuli duo. Optime sub forma boli sumitur, ne nauseam moveat. Diaphoresis promovendæ causâ, Ill. SYDENHAM pannum laneum (*Suecis Flanell*), quo æger se induere debet, commendat. Sudor ad minimum 24 horarum spatio servari debet. 3) *Media diluentia & emollientia*, ex quibus lenissima sunt eligenda & inprimis



l) CULLEN l. c. p. 30 & 31.

m) vid. van SWIETEN loc. & p. cit.

n) *Avis au peuple* §. 169. p. 195.

o) *Prax. Med.* p. 206.

p) CULLEN *Pract. of Phys.* Vol. II. p. 31 & 32.



mis initio morbi adhibenda q). Cel. BOERHAAVE, dum Rheumaticis doloribus cruciabatur, per duodecim dierum spatium, sine magna imminutione virium corporis, solo sero lactis vitam sustinuit r).

Schol. 3. Tertiæ Indicationi respondent: 1) *Venæ Sectio Topica.* Quando debilitatem systematis sæpè reperiita sanguinis detractio generalis inducit, Ill. CULLEN s). Venæ Sectionem topicam ei anteponendam esse, ducit; imprimis si tumor & rubedo in parte adfecta conspiciuntur. Si vero, progrediente malo, morbus magis a Diathesi Phlogistica totius systematis, quam ab affectione partis singularis, pendere videtur; generalem Venæ Sectionem topicam longe præstare, arbitratur. Peragitur autem Venæ sectio topica, Hirudinibus & Cucurbitulis eruentis. 2) *Epispastica.* Hæc multum commendantur, quia actionem cordis & arteriarum, vasa extrema deplendo, moderantur. In hoc tamen morbo ex iis nulla fere est utilitas, nisi dolor uno loco sit circumscriptus t). Neque, suadente Cel. TISSOT u), adhibenda sunt, si durities pulsus adhuc manet.

Schol. 4. *Balneum Tepidum* a multis, ob vim suam relaxantem, laudatur. Fomentationes & Cataplasmata, in initio morbi hujus, potius exasperare, quam levare dolorem, Ill. CULLEN v), dicit. Idem fere de Rubefacientibus & Camphoratis adfirmat, dum dicit, ea do-

lorem

q) van SWIETEN *Comment.* Tom. V. p. 678.



r) vid. v. SWIETEN l. c. p. 679.

s) *Pract. of Phys.* Vol. II. p. 29 & 30.

t) CULLEN loc. cit. p. 31.

u) *Avis au peuple* p. 200.

v) *Pract. of Phys.* Vol. II. p. 31.



lorem raro funditus tollere; sed eum tantum de uno in alium locum transferre. Cel. vero TISSOT x), quando dolor adeo vehemens est, ut cataplasmata applicari nequeant, balneum vaporis commendat. Balneum quoque tepidum extremitatibus inferioribus admotum, magnam ægroto attulisse levationem, refert y). Jubet tamen, non antea eo esse utendum, quam sanguis missus, vel alia evacuatio facta fuerit. *Narcotica*, stuporis inducendi & sic doloris sistendi causa, inprimis Opiata, a quibusdam ut valde utilia commendantur; cum Pulvis Doweri, cui aliqua portio Opii est admixta, morbo nostro medendo magnam præbeat utilitatem. Observandum autem est, effectum Opii longe alium esse quando solum sumitur, alium, dum aliis medicaminibus immiscetur. Hinc, Pulvere Doweri excepto, opium in nostro morbo usurpari non debet; saltem non inflammatione adhuc persistente. Et quidem postea, caute hoc remedio utendum. *van SWIETEN* z) dicit, Opium adhiberi posse, dum a nimia dolorum violentia subsultus tendinum & membrorum convulsiones exsurgunt. Parce tamen eo esse utendum, suadet. Quantum detrimenti morbo medendo, inferant *Narcotica* & *Hypnotica* sub febre data, satis superque ostendunt Ill. *van SWIETEN* a) & TISSOT b). — *Corticem Peruvianum* multi contra hunc morbum commendant. Alii vero, *Rheumatismum Acutum* ut morbum pure inflammatorium spectantes, eum prorsus prohibent. Ill. CULLEN c)

inter

x) *Avis au peuple* §. 171. p. 196.



y) loc. cit. p. 196 & 197.

z) *Comment.* Tom. V. p. 669.

a) loc. cit. p. 668 & 669.

b) *Avis au peuple* §. 172. p. 197.

c) *Pract. of Physic.* V. II. p. 32 & 33.



inter illos & hos medium tenet. Dicit, corticem Chinchinæ non antea in hoc morbo esse usurpandum, quam inflammatio fuerit sublata, & manifestæ febris exacerbationes & remissiones observentur. Fatetur tamen, se raro utilitatem cepisse ex cortice Peruviano, sed illum sæpius male cessisse. Tamen omnes fere Medici, & in his *van SWIETEN* d) in eo conveniunt, quod corticem Chinchinæ, quando æger valde debilitatus est, & dolores quotidie fixa hora recurrunt, tempore remissionis sumendum, commendent. — *Calomelas*, aliaque præparata Mercurialia, teste Ill. *CULLEN* e) multum laudantur. Idem autem firmissime adseverat, ejusmodi præparata in Chronico tantum Rheumatismo utilia esse.

Schol. 5. Hucusque de curatione Rheumatismi Acuti, quando febris manet, locuti sumus. Quædam autem de curatione morbi, post febrem superstitis, dicere oportet. Quæ inprimis huc spectant, sunt: dolor, tumor & immobilitas artuum. Cel. *BANG* f) commendat: 1) *Anttartbritica remèdia interna*, ut *Liquorem Nervinum*, aut *Essentiam Stibii Huxhami Spiritui lavendularum composito* junctam. Laudat quoque *solutionem Gummi Guajaci aquosam*, ad cochleare majus bis terve indies. *Horum*, inquit, *mox unum, mox alterum, juvare videtur.* 2) *Motionem corporis assiduam*, præcipue partium adfectarum. Huc etiam pertinet earum crebra frictio, potissimum panno laneo facienda. 3) *Balneum*, vel vaporarium articulis rigiditate adfectis, admovenda. Stillatitium quoque, tumori artuum non dolenti applica-



f

tum

d) *Comment.* Tom. V. p. 669.

e) *Præctice of Physic.* Vol. II. p. 33.

f) *Prax. Med.* p. 207 & 208.



tum laudat. Hæc omnia quotidie, aut alternis diebus iterari, jubet. Plura, qui de curatione, desiderat, Ill. *van SWIETEN* præcipue consulat. Cum Praxin Medicam nondum fecerim, aliorum placita me proposuisse nemo forsân mirabitur.

TANTUM.

Corrigenda.

- Pag. 4. lin. 19 SANVAGES leg. SAUVAGES.
 — 5. lin. 20 cervicis leg. pectoris.
 — 10 lin. 25 brevtatis leg. brevitatis.